

munis opinio Legistarum & Canonist. Pro qua communi sententia ego considero textum expressum in leg. *Quisquis*, Cod. de Donation. ubi, per retentionem ususfructus transit possessio civilis in emptorem, donatarium, vel in eum cui fit alienatio, & tamen res non erat in presentia, nec præsuntur: quia si esset, frustra alius actus fictus interveniret vel requireretur: & hoc subtiliter deduco ex littera illius text. dum dicit: *ne quid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio* idem probat textus subtiliter consideratus in leg. *Si quis argumentum*. §. *Sed si quidem*, eod. titul. ubi si quis donat universaliter omnia sua bona, & retineat ususfructum, censetur statim translata possessio civilis in donatarium; & aperte ibi colligitur, quod ille actus intervenit in absentia rerum; nam non est præsumentum quod omnia bona sua quæ habebat essent in presentia, ut latius dixi supra in quarto actu ficto: ergo idem dicamus in actu ficto clausulæ constituti, ut per eam civiliter possidens in absentia possit transferre possessionem civilem quam habet. Tertio considero text. notabilem & subtilem, juncta Glossa, & communi opinione, in leg. *Qui universas*. §. *Quod per colonum eodem titul.* ubi habetur, quod si colonus vel inquilinus post mortem domini conducit ab hærede, vel ei solvit pensionem, recognoscens eum in dominum, eo ipso videtur hæres acquirere possessionem, modo conducatur in presentia rei, modo in absentia; quia colonus vel inquilinus videtur deinceps insistere & habere rem & ejus detentationem in absentia nomine ipsius hæredis, & tamquam ejus procurator, ut latius & notabiliter conclusi supra, in quinto actu ficto, & ibi omnino vide: & sic, eo ipso quod colonus vel inquilinus retinet in absentia illam detentationem nomine hæredis, sibi quærit possessionem: Ergo eadem & fortiori ratione, si possessor retineat civilem possessionem in animo nomine alterius, sibi quæret possessionem. Quarto facit notabilis textus in proposito in leg. *Certi conditio*. §. *fin. ff. Si certum petat*, ubi probatur, quod regula & jura, quæ habent, quod si ex titulo vel habili causa dimittit quis rem suam apud alium, transfert in eum dominium & possessionem, procedunt etiam si res erat in absentia contrahentium: quod probat ibi text. dum dicit: *Animo enim cepit possidere*, quod nulla alia ratione provenit, nisi quia detentationem, quam animo retinebat, intendit nunc habere in animo suo pro vera & juridica possessione; & sic ex superveniente causa & titulo illa detentatio transfunditur & mutatur in veram & juridicam possessionem: ergo eodem modo, civiliter possidens

posset in animo suo illam civilem possessionem quam habet retinere nomine alterius, ut mediante animo constituentis illi quæretur. Confirmatur nova & subtili consideratione: ille qui tantum civiliter possidet animo in absentia potest conveniri rei vindicatione: text. est in leg. *Cujuscumque*. §. *Si fundus*, ff. de Usufruct. & ibi notat Alberic. Bald. & Angel. text. in leg. 3. §. *fin. ff. Ad exhib.* text. in leg. *Celsus*. §. *fin. eod. titul.* text. juncta Glossa, in leg. *Permisseri*. §. *Species*, ff. de Acquirend. posses. text. juncta Glossa, in leg. 2. Cod. *Ubi in rem actio*. bonus text. in leg. *Officium*, ff. de Rei vindication. tenet Glossa Bartol. & communis opinio in leg. *Pomponius*. §. *Si is qui precario*, ff. de Acquirend. posses. Gloss. & communis opinio in dict. leg. 2. Cod. *Ubi in rem actio*. Gloss. & communis opinio in rubr. ff. de Rei vindicat. quo casu, condemnatione facta contra civiliter possidentem, fiet restitutio & executio dupliciter: Primo modo, inducendo actorem realiter in fundum, ut tantum civiliter possideat: ita singulariter Butr. Bald. & communiter DD. in dict. leg. 2. Cod. *Ubi in rem actio*. Bald. in *Authentica*, & qui jurat. 7. columna. 33. Cod. de Bonorum auctoritate jud. posses. Ang. in dict. leg. *Cujuscumque*. §. *Fundus*, ff. de Usufruct. Moderni in §. *Omnium instit. de action.* Secundo modo fiet executio & restitutio, per iudicis præceptum, ut desinat animo possidere sibi, & constituat se nomine actoris possidere: ita singulariter Angel. Imol. & DD. in leg. *Servi nomine*, ff. de Usucapion. Alexand. & Moderni in dict. leg. *Pomponius*. §. *Si is qui precario*. Paul. de Castr. & alii DD. in leg. *Permisseri*. §. *Species*, eodem titul. Ergo eodem modo, talis civiliter possidens sua voluntate & contractu, poterit se constituere nomine alterius possidere, & in eum transferre dictam solam civilem possessionem quam habet.

Et si dicas: Nulla possessio quæritur sine actu corporeo, vel ex parte acquirentis, vel ex parte procuratoris, vel alterius qui intendit quætere domino, vel sine actu ficto representativo & subrogato loco naturali, modo tractetur de acquirenda utraque possessione juncta, modo tractetur de acquirenda sola civili, vel sola naturali: text. est in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. text. in leg. *Quemadmodum*, eod. tit. cum similib. Sed hic nullus actus intervenit verus, imò nec fictus ex parte acquirentis, nec ex parte constituentis: ergo non possit in absentia transferri prædicta possessio civilis per clausulam constituti: quia respondeo notabiliter, quod bene intervenit actus: nam à principio, quando constitutus quæsit possessionem, intervenit actus acquisitivus possessionis, mediante quo fuit quæ-

80

si-

sita possessio, & in esse producta; quam possessionem sic quæsitam constituens intendit habere & tenere nomine alterius: & sicut si à principio constituens actum illum gereret, & possessionem quæreret nomine alterius, sibi quæreret possessionem, & ille actus sibi prodesset; ita tunc, postquam possessio est quæsitam, si vult eam habere & tenere nomine alterius, sibi quæritur: & sic talis possessio non dicitur quæri sine actu, quia sustentatur ex actu primo: & in effectu ista voluit & respondet Bartol. in leg. *Quod meo*, 2. column. num. 3. Alexand. 5. column. in princip. & ita est realis & propria intentio Innocent. in cap. *Cum venisset*, post principium, de restit. spol. & Anton. ibi, penultim. column. in medio, melius & notabiliter idem Anton. in cap. 2. de Consuetudin. 3. column. num. 28.

81 Similiter procedit & habet locum text. in leg. *Quod meo*, & ejus conclusio, quando quis haberet possessionem quæsitam ex quolibet actu ficto, ut per constitutum, vel contractum conductionis, vel receptionem instrumenti, vel quemlibet actum fictum: nam tunc talis possessor poterit etiam in absentia possessionem, quam habet transferre in alium per clausulam constituti; imò quod magis est, si ex forma legis vel statuti haberet ipso jure quæsitam civilissimam possessionem, posset in absentia, mediante licito & habili contractu, prædictam possessionem transferre per clausulam constituti: quod aperte fundatur ex superioribus: Quod reprobato sententiam Bald. in Rubr. extra, de caus. posses. & prop. penultim. col. post medium, vers. *Sed pone*, ubi ipse solus, nec alibi aliud reperio, tantum expressè tenet contrarium, imò, quod tali casu non possit transferri possessio per constitutum; quia cum ipse possideat fictè, non poterit in alium per actum fictum transferre possessionem, ne detur concursus duarum fictionum: & istud videtur tenere Aretin. in leg. *Quamvis*. §. *Si conductor*, ff. de Acquir. posses. fin. column. num. 5. ubi dicit, quod jura quæ dicunt, quod per constitutum transfertur possessio, videntur loqui & intelligere quando constitutus habeat veram possessionem quæsitam ex actu vero; unde, non debent trahi ad acquisitam ex actu ficto, argumento leg. 3. §. *Hac verba*, ff. de Negot. gest. Quia aperte superioribus probatur contrarium: Nec obstat ratio Bald. quia illa militaret quando in uno & eodem actu concurrerent, & respectu ejusdem personæ: sed in nostro casu, nec concurrunt in eodem actu, nec in eadem persona, sed in diversis: quia à principio, quando possessio fuit quæsitam per actum fictum, vel mediante lege vel

statuto, illa fictio vel specialitas intervenit respectu primæ personæ acquirentis, & jam habuit suum effectum, & sibi fuit quæsitam vera & juridica possessio; postea verò, quando talis possessor iterum se constituit nomine alterius, illa secunda fictio intervenit in secundo actu distincto à primo, & respectu diversæ personæ, in cujus favorem nunc sit constitutum; unde permittuntur, argumento doctrinæ Bart. & ibi DD. in leg. *Si is qui pro emptore de usu cap. penultim. column. fin. quæst.* & Bart. & DD. in leg. *Singularia*, ff. *Si cert. per.* Pro qua mea subtili consideratione bene facit Gloss. singularis in leg. *Ab emprione*, ff. de Pactis in gloss. fin. & ibi Bartol. Paul. & communiter DD. ubi dicitur, quod si venditor constituit se nomine emptoris possidere, non poterit emptor discedere à contractu solo consensu, nisi interveniat actus traditionis retrò similis, & sic emptor se constituat nomine venditoris possidere: & idem tenet Bald. in leg. 1. Cod. *Quando liceat ab empr. disced.* 2. column. post princip. & ibi communiter DD. ergo ibi patet, quod possessionem, quam emptor quæsit ex clausula prima constituti, & sic ex actu ficto, potest transferre postea per aliud ejus constitutum. Pro hac etiam conclusione facit ratio concludens: quia ita vera & realis possessio acquiritur ex actu ficto, sicut ex vero.

Similiter procedit & habet locum conclusio & materia nostra, etiam si constitutus haberet possessionem per alium, ut per colonum, inquilinum, vel similes: quia per clausulam constituti possum illam possessionem in alium transferre: Glossa est singularis & unica in jure in leg. 1. §. *Non alii autem*, in verb. *Retineo*, prop. finem. ff. de Vi & vi armat. de qua Glossa & in articulo vide supra.

Similiter procedit & habet locum conclusio & materia nostra, etiam si constitutus non possideat civiliter, nec naturaliter, sed tantum habeat commoditatem possessionis: ut quia debitor obligavit creditori omnia bona sua, vel aliquam rem, & tradidit creditori, vel suo nomine se constituit possidere; quo casu de jure transtulit utramque possessionem in creditorem, ut est text. in leg. 1. §. *Per servum corporaliter*, ff. de Acquirend. posses. text. in leg. *Qui pignoris*, eodem titul. text. in leg. *Pignori*, ff. de Usucap. text. in leg. *Sciendum*. §. *Creditor*, qui satisfacere cogit. text. in leg. *Servi nomine*, ff. de Usucapionib. text. in leg. *Per servum pignori*, ff. de Acquirendo rer. domin. text. in leg. *Si rem alienam*, la 1. §. 1. versic. *Proprie*, ff. de Pignor. action. text. in leg. *Cum & sortis*. §. *fin. eod. titul.* text. in leg. *Si pignus mihi traditum*, eodem titul. text. in leg.

De-

Debitore a creditore, eod. titul. notatur per Glos-
sam & Scribentes in leg. Cum notissimi. §. 2.
Cod. de Pras. 30. vel 40. annorum, in debito-
rem verò est commodum possessionis, ut est
text. expressus in dict. leg. Servi nomine, de
Usucap. & probant prædicta jura: nam si talis
debitor vendat, vel alio titulo alienet aliquam
de prædictis rebus obligatis, & constituat se
nomine emptoris eam possidere, transfert in
eundem dominium, vel usucapiendi conditionem,
& omne jus quod erat penes debitorem, & sic
omne commodum possessionis: ita Bart. singu-
lariter in leg. Celsus, 3. column. num. 15. ff. de
Usucap. post Jac. Butric. quem ipse allegat, &
ibi Cuman. penultim. column. post princip. idem
tenet ibi Franc. Bald. in repetitione illius leg.
28. column. num. 96. idem tenet Cuman. in leg.
Qui pignoris. ff. de Acquir. posses. & istud tenet
& reputat notabile Paul. de Caltr. in leg. Quam-
vis. §. Si conductor, in fin. eodem titul. & ibi
subtiliter Aretin. in fin. column. n. 4. tenet etiam
& reputat notabile Bald. in leg. Nullo fin. quæst.
Cod. de Rei vend. idem tenet & valde commen-
dat Angel. Aretin. in §. Actionum, 5. column. in
medio, vers. Quæro, jam est mensis, Inst. de Act.
& tenet etiam Anton. de Butric. in cap. Cum
venisset, penultim. column. in fin. versic. Item
si possideat, de restit. spol.

82 Advertendum tamen est, quod conclusio
nostra & materia quæ habet, quod per clausu-
lam constituti transfertur & acquiritur possessio,
debet necessariò intelligi, quando ille in cujus
favorem fit constitutum erat præsens & consen-
tiens tempore constituti; secus verò si sit ab-
sens; quia tunc nulla sibi quæritur possessio,
nisi absens ratum habeat constitutum factum
nomine ejus: Cujus ratio est; quia cum cons-
tituens non habeat mandatum virtute cujus sta-
tim quærat sibi tamquam procurator, sed tam-
quam negotiorum gestor faciat & constituat se,
meritò requiritur quod ille in cujus favorem
actus geritur consentiat, vel ratum habeat, ar-
gumento text. in leg. Si ego. ff. de Negot. gest.
text. in leg. 1. §. Si ratum. ff. Quod jussu, text.
in leg. Licet. ff. de Judic. text. in leg. Hoc jure.
§. 1. ff. de Regul. jur. text. in leg. fin. Cod. Ad
Macedon. text. in regul. ratihabitionem, de regul.
jur. in 6. & in expressò pro hac necessaria con-
clusionem & sententia facit textus expressus in
leg. Communis servus, §. fin. ff. de Acquir. posses.
ubi dicit text. quod si quis cum mandato, &
sic tamquam verus procurator emat rem nomi-
ne domini, & apprehendat possessionem, statim
quærit dominium & possessionem domino; si
verò emat sine mandato, non quæritur sibi do-
minium nec possessio nisi ratum habuerit: &

isto fundamento & consideratione istam conclu-
sionem & declarationem tenet solus Alexand. de
Imol. qui sæpè laudatur in practica; in dict. leg.
Quod meo, de Acquirend. posses. 1. column. in fin.
idem tenet Alex. in consil. suis 6. vol. cons. 153.
1. column. num. 3. idem tenet & summè com-
mendat Philip. Dec. in cap. 226. 2. col. n. 5. 2. vol.
consil. idem Philip. Dec. in regul. contractus ff. de
Regul. jur. 7. column. versic. Quinto limitatur,
sed ante eos idem tenet Raph. Cuman. in dict.
leg. Quod meo, 2. column. in medio, per textum
in dict. leg. Communis servus, §. fin. licet litera
sit corrupta: & apertè est de mente Aretin. in
princ. 1. column. num. 1. & similiter est de men-
te Glossæ in dict. leg. Quod meo, in gloss. 1. in
versic. Item scientia & voluntas, &c. ubi dicit,
quod exigitur scientia & voluntas ejus cui quæ-
ritur, ut in casu nostro quæratur possessio: & an-
te eos etiam idem reperio tenere Bald. in leg.
Cum nemo, 1. lectur. num. 2. Cod. de Acquirend.
possession. qui tantum allegat regul. text. in dict.
leg. Si ego, istam etiam conclusionem & decla-
rationem tenet Anton. de Butr. in cap. Cum ve-
nisset, de restit. spol. fin. column. in fin. Abbas
Panorm. ibi, 2. column. num. 6. istam etiam con-
clusionem & declarationem tenent domini de
Rot. in sua decisione 150. incipienti: Licet ame-
cus, & ante omnes istud fuit dictum originale
Jacob. Burt. in leg. Quadam mulier. ff. de Rei
vend. quem refert Alexand. in dict. consil. Pro
qua sententia, ultra prædictos DD. facit expres-
sus & notabilis text. in leg. Ea qua civiliter. ff.
de Acquirendo rer. domin. cujus verba sunt: Quod
naturaliter acquiritur, sicuti est possessio, per
quemlibet, volentibus nobis possidere, acquirimus.
Pro qua sententia & declaratione, ultra DD.
considero textum expressum in leg. Cerrè. §. Si
procurator. ff. de Precario, ubi dicit, quod si
quis accipit rem precario nomine alterius, ac-
quirit ei possessionem, si habebat mandatum;
si verò non habebat, acquirit ei, si ille alter
ratum habeat præcarium. Considero etiam tex-
tum expressum in leg. Precaria possessio eodem
titul. de precario, ubi dicit text. quod ita de-
mum per precarium transit & acquiritur posses-
sio, quando fit inter præsentem, vel inter absen-
tes, si interveniat consensus & voluntas con-
trahentium, mediante epistola vel nuntio. Pro
qua etiam sententia & declaratione facit ratio
inconvincibilis: in quærenda possessione etiam
per actum verum & naturalem semper requiri-
tur animus & voluntas explicata vel saltem im-
plicita acquirentis: text. est in leg. 3. ff. de Ac-
quirend. posses. text. in leg. Quemadmodum, eod.
titul. text. in leg. 1. §. Adipiscimur, & in §. Per
procuratorem, & in §. Si jusserim, eodem titul.
text.

text. in leg. Licet in princip. Cod. eodem titul.
ergo similiter requiratur in possessione quæren-
da per actum fictum: argumento text. in leg.
Qui ad certum. ff. Locati, text. in leg. Qui decem.
§. 1. ff. de Solut. text. in leg. Si sponsalibus, §. 1.
ff. de Jure dot. text. in leg. Adoptio, la 1. ff. de
Adoption. text. in leg. Lex Cornelia, in fin. ff. de
Vulgar. & pupil. bonus & realis text. in propo-
sitione in leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquirend.
possession. juncta sententia & declaratione Aret.
ibi, 1. col. faciunt ea quæ notantur per Glos-
sam & DD. in leg. Gallus, §. Si ejus, de liber.
& posthum. per Gloss. Bartol. & DD. in leg. Is
qui pro emptore, 9. col. 1. quæst. principal. ff.
de Usucap. per Bartol. Doctor. in leg. Singula-
ria. ff. Si cert. pet. Et in expressò pro hac sen-
tentia & declaratione, quod etiam in quærenda
possessione per actum fictum requiratur ani-
mus & voluntas acquirentis, considero novis-
simum & expressum text. in leg. Si pignus mihi
traditum in fin. ff. de Pignor. action. ubi dicitur,
quod creditor conservat vel acquirit possessio-
nem rei pignoratæ per actum fictum conduc-
tionis, ita demum si habeat animus & volun-
tatem possidendi: text. in leg. 1. §. Si jusserim.
ff. de Acquirend. posses. ibi: Sed etiam oculis &
affectu, ubi per actum visus, qui est actus fic-
tus, ita demum quæritur possessio, si interve-
niat animus & voluntas quærentis possessionem:
text. in leg. Quærendam, in fin. ibi: Animi quo-
dam genere, &c. eodem tit. ergo in nostro casu,
quando quis se constituit nomine alterius pos-
sidere, nullo modo quærat eum possessio, nisi
sit præsens tempore constituti, vel si sit ab-
sens ratum habeat; cum aliàs non dicatur in-
tervenire animus & voluntas acquirentis: & ista
est pura veritas in hoc articulo.

83 Ex qua sententia & conclusione infero utili-
ter in practica, quod si antequam rem habeat
ille absens, in cujus favorem ponitur constitu-
tum, venditor, donator, vel alienator, qui se
constituit, vendat, donet, vel alienet rem alte-
ri, & tradat verè vel fictè, ille secundus erit
preferendus in re, in dominio, vel usucapien-
di conditione, vel in omni alio jure concesso
in re, argumento leg. Quoties, cum materia, Cod.
de Rei vindication. (s) Quod procedit, etiamsi
postea ille primus ratum habeat, ut statim di-
cam: licet secus esset, si ex primo actu consti-
tuti vel alio actu ficto esset quæsitæ possessio,
quia concurreret animus & voluntas quærentis;
quia tunc, licet alteri postea traderet verè vel
fictè, primus preferetur, ut eleganter dicit &

tenet Joan. And. in Addit. ad Specul. in titul. de
emp. & vendit. §. Sciendum 10. column. versic.
Quod si res vendita. Bald. in Rubr. Cod. de Con-
trah. empr. 16. quæst. Anton. de Butr. in cap. Cum
venisset, penultim. column. in medio, de restit.
spol. Abbas Panorm. in cap. 2. de Consuet. fin.
column. in princip. originaliter, Gui. de Suza. in
leg. Quoties, Cod. de Rei vind. & ibi Jas. 5. col.
in 5. limitat.

Inferitur & secundò, quod si interim, ante-
quam ille absens, in cujus favorem ponitur con-
stitutum, ratum habeat, expelleretur de posses-
sione ille, qui ejus nomine se constituit, non
poterit ille in cujus favorem fuit positum consti-
tutum agere interdicto recuperandæ possessio-
nis, etiam si post violentiam ratificet: quia ra-
tificatio non fuit adhibita tempore congruo, sci-
licet, existente possessione penes constitutum;
sed tempore inhabili quo jam non possidebat:
ita notabiliter Domini de Rota in allegat. de-
cision. 150. Anton. de Butr. in dict. cap. Cum ve-
nisset. de restit. spol. fin. column. in fin. Solus
Alexand. in dict. leg. meo, 2. column. in princip.
Jas. in leg. Generaliter, eodem titul. argumento
textus & ejus regulæ in leg. Bonorum. ff. Rem ra-
tam, ubi probatur, quod ratihabitionem debet fieri
illo tempore, quo actus principalis debuit geri:
quem summè commendat ibi Bartol. & DD.
text. in leg. fin. ff. Quis ordo in bonor. posses.
servet. text. juncta Glossa & communi sententia,
in leg. Cum quidam. ff. de Bonor. posses. text. in
cap. Non solent, 2. quæst. 6. in princip. Gloss.
& communis opinio in cap. Ratihabitionem, de
reg. jur. in 6. Alexand. & Modern. in leg. 1. Cod.
Qui admitti. Si verò esset expulsus post rati-
habitionem, benè posset agere interdicto unde
vi, argumento text. cum materia in leg. fin. Cod.
Unde vi, ubi habetur, quod si colonus, vel ille,
per quem dominus possidet, expellatur per vim,
competit domino illud interdictum Unde vi. In-
feritur & tertio, quod si ille, qui se constituit
nomine alterius possidere, moriatur antequam
alter ratum habeat, non quæritur sibi aliqua
possessio; cum illo tempore constituens nullam
possessionem habeat, quia extincta fuit per mor-
tem, ut in leg. Cum hæredes. ff. de Acquirenda
possessione, in leg. 1. §. Scævola. ff. Si quis testa-
ment. liber esse juss. fuer. unde, si fortè per
mortem defuncti constituentis, hæres apprehen-
dat possessionem rei venditæ, & illam alteri ven-
dat & tradat, præferatur primo emptori.

Sed attende quod contra superiora facit no-
va & subtilis difficultas: nam si ille in cujus fa-

(s) Et ita tenet Molin. in lib. 4. cap. 2. num. 58. fol. 131. & num. 64. fol. 132. Anton. Gomez, ad Legem Tauri, M m

vorem ponitur constitutum sit absens, nullo modo potest sibi quæri possessio, licet ratum habeat: quia in instanti quo constituens se constituit nomine ejus possidere, jam amisit possessionem animo suo; cum solo animo amittatur, ut in leg. 3. §. *In amittenda, sup. eod.* Si amisit, ergo ille alter non potest acquirere, licet ratum habeat; cum tempore inhabili superveniat rati habitio, & sic tempore quo constituens non possidet. Confirmatur, quia solo animo amittitur possessio, licet alteri non quærat, ut dixi supra, in illo articulo & quæst. an in quærenda possessione requiratur causa? Sed respondeo, quod illa regula & conclusio habet locum & procedit quando possessor expressè & verè velit amittere possessionem, puta, animo & voluntate expressa declarata, vel ex eo quod per actum verum & naturalem alteri tradidit; secus verò in nostro casu, ubi ipse constituens non abdicat à se possessionem, nec animo vult desinere possidere, vel alteri tradit verè, sed adhuc retinet possessionem quam vult nomine alterius habere: unde, si illi non quæritur, tamen constituens non amittit eam, quia non est sua intentio perdere. Confirmatur, quia in transferenda possessione per actum fictum non consideratur animus, intentio, nec voluntas determinata & absoluta perdendi possessionem, sicut quando possessor animo expresso & claro vult perdere, vel quando alteri tradidit: unde, jus non assistit, quod per actum fictum perdat, quando alteri non quæritur.

84 Præterea advertendum est, quod ita demum per clausulam constituti transfertur & acquiritur possessio, si constituens actualiter possidebat tempore constituti: secus verò si non possidebat; quia tunc nulla transfertur vel acquiritur possessio ei in cujus favorem sit constitutum, argumento text. in regul. *nemo plus juris, ff. de Reg. jur. text. in leg. Traditio, in princip. ff. de Acquir. rer. domin. text. in leg. Ex empto, in princip. ff. de Action. empt. text. in leg. Alienatio, ff. de Contrah. empt. text. in cap. Nuper in medio, de donation. inter virum & uxorem, text. in cap. Quod autem, in fin. de jure patron. text. in leg. Debitorem, Cod. de Pignor. text. in leg. Si debitor, Cod. de Distrab. pign. text. in leg. Si conveniret, la. 2. §. Si fundus, ff. de Pignor. bonus text. in leg. Quod in rerum, §. 1. de Legatis 1. text. in leg. Si domus, eod. tit. text. in leg. Uxor patru. Cod. de Legat. & in expresso istam conclusionem & declarationem probat text. singularis, juncta Gloss. ordinaria in leg. *Quamvis, §. Si conductor, ff. de Acquirenda possessione*, ubi dicitur, quod per conductionem rei ita demum transit possessio & acquiritur locatori, si con-*

ducens possidebat; aliàs non: ergo idem sit in actu & clausula constituti, cum æquiparentur in ratione: & isto fundamento & consideratione ita expressè tenet ibi Angel. de Perus. qui plus dicit, quod ille qui præterdit possessionem sibi quæsitam ex clausula constituti, debet allegare & probare possessionem fuisse penes constituentem tempore constituti; aliàs succumbet. Idem tenet ibi Paul. de Castr. idem etiam tenet & reputat valdè notabile Joan. de Imol. Roman. Aret. 2. column. Alexand. in fin. istam etiam conclusionem tenet expressè Gloss. ordinaria in leg. 2. Cod. eod. titul. in verb. *Tradita*, ubi dicit, ita demum per constitutum transferri possessionem, cum constat constituentem possidere: quam ibi ad hoc notat & commendat Ang. & Bald. 1. lect. 2. in fin. istam etiam conclusionem tenet Angel. in leg. *Quadam mulier, de rei vindic.* idem Angel. in leg. *Quisquis, Cod. de Donat.* Alexand. in dict. leg. *Quod meo, §. 5. column. 22.* Bald. in leg. *Sive autem, §. 1. ff. de Public.* Oldrad. notabiliter cons. 114. num. 2. Anton. in cap. *Cum venisset, de restit. spol. penultim. column. post princip.* Et in tantum hoc est verum, ut non sufficiat quod constituens postea incipiat possidere; quia in illa nova possessione non est consensus inter partes: ita singulariter Bald. in leg. 1. 2. column. in princ. Cod. *Quando non liceat ab empt. disc.* tenet etiam & commendat Salyc. ibi, fin. column. in princ. idem tenet Aretin. in dict. leg. *Quamvis si conductor, 2. column.* qui notabiliter loquitur in puncto. ff. de Acquir. posses. Nec ostat si subtiliter dicatur, quod clausula constituti benè operatur & extenditur ad bona futura, ut postquam jam sit quæsitam, virtus & effectus constituti militet in eis, ut notanter dixi supra ista leg. Quia illud est verum & procedit quando constitutum respicit bona futura ex expressa intentione & voluntate partium: secus verò si tantum intendunt habere respectum ad possessionem de præsentem, ut in nostro casu; quia tunc non extenditur ad novam possessionem futuram, quia in ea nullus est consensus partium: & ista est mens & intentio Bald. ubi supra: & ita subtiliter declarat Aretin. dict. §. *Si conductor.*

85 Adde tamen, quod ista conclusio & doctrina, quæ habet, quod ita demum per clausulam constituti transit & acquiritur possessio, quando constituens possidebat tempore constituti, & hoc probatum fuerit; procedit & debet intelligi, quando lis vel quæstio possessionis vertitur inter eum in cujus favorem emanavit clausula constituti, & inter alium tertium qui præterdit non esse quæsitam possessionem: secus tamen est, si lis vel quæstio vertitur inter ip-

sum constituentem, & eum in cujus favorem apposita fuit clausula constituti; quia tunc prædicta clausula & ejus confessio sibi præjudicant, ut alter nihil teneatur probare: ita singulariter & in terminis voluit solus Bald. in leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. tollend. antepenult. column. 8. quæst. princip. idem Bald. expressius ponderando text. in leg. ibi *Quadam mulier, ff. de Rei vind. 1. lect. in princ. de Rei vind.* ubi dicit, quod per conductionem rei probatur possessio inter partes, licet non constet quod conductor possidebat; licet secus sit respectu tertii: & idem tenet ibi notabiliter Angel. de Perus. 2. col. in princ. vers. *Item attende*, idem etiam tenet Socin. 2. volum. cons. 187. §. 5. column. num. 4. in cujus confirmationem, licet ipsi non allegent, facit text. in leg. *Optima, Cod. de Contrah. & commit. stipul.* ubi dicitur, quod clausula vel confessio posita in instrumto probat inter easdem partes, non verò respectu tertii: & ad hoc notat illum text. Jac. Butr. & communiter DD. *ibid.* Bartol. in *Auth. si quis in aliquo documento, fin. column. penult. quæst. Cod. de Edendo*, Idem Bart. notabiliter in leg. *Sciendum, de verbor. obligation. 3. column. in princ. num. 5.* & ibi Moderni. Secundò confirmatur ex sententia Bart. in leg. *Per diversas, Cod. Mandati, 2. column. num. 12.* ubi dicit, quod licet confessio pretii recepti in instrumto cessionis non probet, ut colligitur ex text. in leg. *Ab Anastasio eod. titul. ibi: Re ipsa persolvit*, tamen debet intelligi respectu tertii contra quem fit cessio; sed quoad cedentem, bene noceret & probaret illa confessio: cum qua sententia transeunt communiter DD. *ibi.* Tertio confirmatur ex sententia notabili Bald. & communi in leg. *Emption. Cod. Plus valet quod agit. in 2. column.* ubi dicit, quod quando simulatio contractus allegatur ab aliquo tertio, potest probari per conjecturas, puta, per continuatam possessionem venditoris; si verò allegatur ab aliquo ex contrahentibus, contractus & confessio partis omnino sibi nocet, nec ex retentione & continuatione possessionis præsumitur simulatio: facit textus notabilis & ibi doctrina Bart. in fin. Ang. & DD. in leg. *Sicut, §. Supervacuum, ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solvat.* Quarto facit textus & ibi communiter DD. in leg. *Generaliter, Cod. de Non num. pecun.* ubi ponitur regula generalis, quod semper confessio partis abhibita in aliquo contractu nocet & præjudicat sibi, & probat in quacumque causa, præter quam in causa mutui.

86 Quintò facit ille singularis text. in leg. *pen. Cod. de Non num. pecun.* ubi probatur, quod licet confessio mutui noceat & præjudicet ipsi debitori principali, lapso biennio; tamen non

nocet nec præjudicat aliis creditoribus ejus, & talis confessio in præjudicium eorum non probat, etiam lapso biennio: quod subtiliter probat illa lex ibi dum: *nec eo prohibeantur, quod principalis debitor ea nunquam usus est*: & licet ab aliquo Doctore antiquo nec moderno ille textus ad hoc sit consideratus, reperio quod expressè eum ad hoc notat Salyc. in leg. *Si quis post hac, Cod. de Bon. pos. 2. col. in princ.* & ad hoc etiam illum textum notat Angel. de Aretin. in §. *Fuerat Institut. de action. 11. column. n. 16. in fin.* illum etiam textum ad hoc notat & reputat mirabilem Jas. non allegando prædictos DD. in dict. §. *Fuerat 17. column. num. 84.* Verum tamen est, quod licet ille textus ita videatur probare; tamen verior intellectus & sensus est quem sequor, quod creditores possint opponere exceptionem *non numerata pecunia* pro suo interesse, scilicet intra tempora quibus posset opponere debitor qui confessus est mutuum recepisse; & sic intra biennium à die suæ confessionis, non ultra: & ita expressè tenet solus Ang. de Perus. in dict. leg. *penult.* qui aliud verbum in illa lege non dicit: & idem tenet ibi Salycet. num. 2. & nullus alius tangit hoc: & hoc apertè probat textus *ibi, in fin.* rectè ponderatus. Nec obstat ibi text. in vers. *Nec eo prohibeatur, dum dicit, debitor ea nunquam usus est.* Quia debet intelligi, quod nunquam ea usus est, poterat tamen ea uti, quia non erat lapsum biennium; vel si erat lapsum, creditor admittitur si vult probare contrarium, sicut ipse debitor principalis posset: & ultra prædict. DD. Ang. & Salyc. istam opinionem & intellectum ad illum textum apertè vult Bartol. in leg. *Assiduis fin. column. penultim. quæst. Cod. Qui potior. in pign. habeant.* & ibi Ang. 2. column. num. 2. & ibi Salyc. fin. column. 8. quæst. princip. Alexand. in leg. 1. ff. *Sol. matr. 9. column. num. 35.*

Sextò confirmatur ex Glossa reputata singulari, juncto text. in leg. *Assiduis, Cod. qui posterior. in verb. Dare*, ubi dicit, quod licet confessio mariti de dote recepta præjudicet sibi, & probet contra eum, si non opponat exceptionem non numeratæ dotis intra legitima tempora statuta, in leg. fin. *Cum Anth. ibi posita, in tit. Cod. de Dot. caut. non num.* tamen illa confessio non nocet creditoribus mariti, nec probat contra eos etiam post illa tempora, nisi fiat vera & plena probatio dotis: Pro qua sententia facit textus *ibi, in versic. Cum enim. ibi: Si tamen re ipsa fuerint patri mariti data*, ubi apertè videtur textus requirere veram & realem numerationem ut fiat præjudicium creditoribus: idem probat text. in leg. *Si quis posthac, Cod. de Bonis pross. ibi: Sed quam se corporaliter tradidisse*